

5 + 6/2003

IDIBVS DECEMBRIBVS

MMIII

RVMOR
VARIVS
XXV
ANNOS
NATVS

RVMOR VARIVS I
RVMOR VARIVS F
RVMOR VARIVS I

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
RVMOR VARIVS
A D I V C

TOMVS 26

FASC. 151

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA HELVETICA, in ædibus, quibus nomen EDITIONS DU LAC est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCC

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	CHF	27.-
In ceteris Europae terris	EUR	18.-
In terris trans maria sitis	US\$	30.-

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)

Estelle (Stella) Gitta

Barbara Maier

Martinus Meier

Daniel Weissmann

Praeses honoris causa:

Ulrich (Udalricus) Aeschlimann, lic. phil. I

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Estelle Gitta

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

RV mittit: Christina Meier-Portner

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam: RVMOR VARIVS,
C/o EDITIONS DU LAC
Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: e.gitta@bluewin.ch

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA HELVETICA, bei den EDITIONS DU LAC herausgegeben. RVMOR VARIVS est publié par la SOCIETAS LATINA HELVETICA aux EDITIONS DU LAC

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich/paraît 6 fois par an

Auflage/tirage: 300

Abonnementspreise/prix de l'abonnement (jährlich/annuel)

Schweiz/Suisse	CHF	27.-
Europa/Europe	EUR	18.-
Uebersee/outre-mer	US\$	30.-

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich
Des spécimens peuvent être obtenus gratuitement

Redaktionsteam/équipe rédactionnelle:

Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)

Estelle Gitta

Barbara Maier

Martin Meier

Daniel Weissmann

Praeses honoris causa: Ulrich Aeschlimann

Grafik und Layout/graphisme et layout:
Estelle Gitta

Druck/impression: Copy Quick, Solothurn

Expédition: Christine Meier-Portner

Verlagsadresse/adresse de la maison d'édition
RVMOR VARIVS, c/o EDITIONS DU LAC,
Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: e.gitta@bluewin.ch



PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Ecce fabula, quam nuper legi, ad hoc tempus natalium apta, qua de cantorum choro angelorum narratur:

Cantorum chorus angelorum dormit. Etiam angeli ipsi dormiunt. Conglobati alius iuxta alium in magna nube alba commode iacent. In caelo enim frigus est, multis gradibus infra zerum. Id cerni potest, si unus ex angelis respirat: Nubes vaporaria ex ore eius oritur, quae avolat et magnae nubi adhaerescit. Eo modo angeli, dum dormiunt, ipsi lectum sibi parant.

Maximum silentium est in nube. Rarissime ala angeli dormientis parvum strepitum facit. Nonnumquam unus ex angelis senioribus paululum stertit, vel sternumentum auditur. Vix conticuit, cum silentium iterum adest. Angeli mites sunt alius erga alium, etiamsi unus ex iis stertit.

Quibus de causis angeli tam defessi sint, fortasse requiris? Tibi dicam: Laboraverunt. Multos dies summa contentione desudaverunt. Per terram volantes in itinere erant. Alius conatus est infantem consolari, qui totam noctem flevit, quod parentes eius rixati sunt. Alius praecipue animosus diu cum viro luctavit, qui solus ante lagoenam sedebat, ex qua poculum post poculum bibit. Angulus eius crapulam dulci strepitu alarum pellere voluit.

Nunc angeli in nube iacent et dormiunt. Qui media in nube sunt, imprimis molliter et tepore circumdati iacent. Undique operiuntur et nonnumquam dulcissime permulcentur. Sunt angeli tristes, qui media in nube iacent. Eis non contigit res propositas suas conficere, quamquam maxime operam dabant. Unus ex iis exempli gratia prohibere voluit, ne fabrica clauderetur, in qua ille vir ante lagoenam sedens laboraverat. Sed numeri rubri recentes ex prelo typographico venientes et fabricae ruinam ostendentes in angelum iactabantur, ut alae eius totaliter oblitae erant. Aegre tantum in caelum revertit.

Locus angeli tristissimi et maxime defatigati in medio ipso nubis est. Huic angelo difficillima opera omnium agenda sunt. Ad eos homines it, quibus ipsorum angeli tutelares non iam succurrere possunt. Quos homines alium post alium mollibus alis diligentissime protegit et fovet. Nonnumquam homines reficiuntur. Interdum angelus cum iis avolat.

Sed quid est? Unus angelorum in lecto nubilo deest. Angelus tristissimus et maxime defatigatus omnium nondum adest. Per urbes multis luminibus illuminatas volat. Hominibus, qui onusti solliciter vultibus rubris per vias properant, occurrit. Animus angeli gravis fit, cum vidit, quomodo labore conficiantur. Tum feminam et virum invenit, quos quaesivit. Vir ad mensam sedet, in qua poculum et lagoena semivacua sunt. Femina ante televisorium sedet. Non loquuntur. Ex conclave iuxta sito angelus infantem singultantem audit. Conclave intrat. Prae defatigatione paene collabitur. Alget, quamquam conclave nimis calafactatum est. De caelesti lecto nubilo et mollibus alis sociorum suorum cogitat. In lecto infantis accumbit, paulisper tantum, ut putat. Obdormiscit.

Cum sentit aliquid dulciter alam suam tangens, iterum expergiscitur. Fovetur. Sub tegimento manus infantis prudenter pennas eius ordinat. Nondum singultat. Ante lectum femina et vir stant. "Valde fatigatus visus es. Paululum te protegi", femina dicit. Et vir angelo verecunde et rustice poculum praebet dicens: "Bibe. Id expergeficit."

Angelus surgit et bibit. Tum ala sua feminam et virum et infantem palpat. "Gratias ago", ait, "pro somno, tegumento refectioneque."

Tum avolat. Maxime exsomnia est, ut numquam antea. Cum in nubem advenit, alios excitat. Paululum mirati dormientes ex alis suis prospiciunt. "Nox sancta mox aderit", angelus dicit, "venite, una cantemus!"

Sit vobis annus novus felix faustus fortunatusque!

Valete!

D. W. S.

De sancto Benedicto, patrono Europae




Dies festus: Dies 11° mensis Quinctilis

Fundator ordinis monasterialis Benedictinorum, pater monachorum Europae

* circa annum 480° p.Ch.r.n. Nursiae

+ die 21° mensis Martii anno 547° p.Ch.r.n. in Monte Cassino



Benedictus una cum Scholastica sorore gemina filius familiae nobilis natus iam puer cum nutrice studiis incumbendi causa Romam missus. Ibi primum miraculum ab eo factum esse dicitur, cum cribrum nescio qua causa a nutrice praedicta fractum nullo auxilio nisi precibus fuis restauraret.

Vita urbana iam interitum redolente perterritus – imperator iam Constantinopolim aufugerat – Benedictus gregem hominum ascetice Affili in montibus Sabinis viventium

petivit, sed postea in regionem incultam in valle Anionis fluminis haud procul a Sublaqueo (Italice: Subiaco) sitam se recepit. Hic tres annos omnino solus vixit in spelunca quadam, quae postea „spelunca sancta“ vocabatur. Cottidie Romanus monachus e monasterio propinquo Vicovarensi panem fune in speluncam mitti iubebat, quem Benedictus sonu campanulae audito sumebat. Quam in campanulam die quodam diabolus invidia captus saxum iactavit, ut frangeretur. Sed Benedictus non hoc tormentum diaboli tantum constanter superavit, sed etiam multa alia: Nam diabolus vel minandi causa in formam corvi nigerrimi, vel, ut ad voluptatem sanctum seduceret, in formam virginis pulcherrimae mutatus apparuit. Neque vero Benedictum vincere poterat, quia ille, ne seductionibus suavis concederet, spinis urticisqueolvebatur.

Sic Benedicti fama inter homines crescebat, ut multi advenirent eum

spectaturi. Monachi Vicovarenses denique eum abbatem creaverunt, sed, cum eis regulae a Benedicto propositae severiores, quam ut tolerari possent, viderentur, eum veneno interficere conati sunt. Venenum autem forma serpentis e calice evasisse calicemque ipsum fractum esse, cum signum crucis super eum fecisset, legenda narrat.

Benedictus periculo superato gregeque tam saevo relicto in vallem Anionis rediit, ut ibidem turbae discipulorum crescenti duodecim monasteriola duodenis monachis colenda conderet, quae et hodie exstant. Iterum regulas ad vitam monachorum communiter habitantium pertinentes composuit, sed iterum monachi quidam severitate regularum irascens per panem veneno imbutum abbatem e medio tollere voluerunt, sed corvus de caelo praecipitans istum panem abstulisse traditur. Prece eius factum est, ut frater Maurus super aquam ambularet, ut Placido fratri iam aquis submerso auxilio veniret. Cum die quodam sororem moribundam adiret, Benedictus animadvertit animam illius sicut columbam caelum petentem. In Monte Cassino denique monasterium condidit celeberrimum; huc anno 529° se recepit, ut praeclaram regulam sancti Benedicti scriberet, regulam abhinc fundamentalem totius ordinis Benedictini tota in occidentem dispersi, cuius sententia immortalis ubique terrarum innotuit: „Ora et labora.“

Vita communis et labor corporalis per Benedicti regulas maximi momenti habentur. Tota vita monasterialis Europaea eius regulis disponebatur et vivificabatur. Monachis propria habere non licebat, cibi communiter sumebantur, colloquia vana vitabantur. Preces et labor - "ora et labora" - et insuper oboedientia tum erant et nunc sunt columnae vitae communis in ordine ab eo fundato Benedictino stabiles. Vitam meditativam contemplativamque labore coniungens Benedictus modum pietatis monasterialis animo Europaeo aptissimum invenit.



Benedicti regulae etiam responderunt in societatem antiquam dissolvibilem: Cum illo tempore omnes et omnia constanter huc et illuc ageren-

tur, cum populi et gentes regiones per latas errarent in quaerendis novis sedibus, Benedictus saeculo suo tantum, sed inopinatum. Accessit, ut homines exciperentur, quia differentia inter Germanos "barbaros" Benedicti regula exemplum futurae facta est: Romani Graecique, sed omnibus hominibus fratribus inter se convivendum erat - sicut monachis in monasterio viventibus!




Magnam sui temporis partem Benedictus miseris dedicabat, quibus pecuniam et cibos distribuebat. Aegrotos sanasse et mortuos in vitam revocasse dicitur. Totilam, regem Gothorum Benedictum anno 542° aduentem, decennio post moriturum esse praedixit. Re vera Totila anno 552° defunctus est! Benedictus vero ipse iam die lovis sancto anno 547°, cum iuxta aram in fano monasteriali in Monte Cassino sito preces funderet, obiit. Fratres autem eius monachi eum ab angelis in via tapetibus ornata et illuminata caelo inferri viderunt.

Anno 589° Romae primum monasterium Benedictinum aedificatum est, anno 590° Gregorius magnus primum Benedictinus papa creatus est. Saeculo sexto monachi Benedictini Anglis evangelium Iesu Christi attulerunt, saeculo septimo regula eorum in Francogalliam advenit.

E monasterio in Monte Cassino sito iam a Langobardis deleta ossa sancti Benedicti die 11° mensis Quintilis anno 673° (vel 703°) in abbatiam Benedictinam Floriacensem (Francogallice: Fleury sive St.-Benoit-sur-Loire) translata sunt (unde fit, ut dies festus sancti Benedicti die 11° m. Quint. celebretur!). Reliquiae etiam Einsidiae in Helvetia, Benedictiburae et Mettae in Bavaria conduntur. Benedictiburam quotannis plurimi peregrinatores sanctum Benedictum venerandi causa confluunt. Nursiae conclave, in quo Benedictus natus est, in fanum conversum visitari potest. Monasterium eius primum, i.e. monasterium in Monte Cassino situm,

bello secundo mundano plane deletum inde ab anno 1944° restaurari et refici coeptum est. Anno 1964° a Paulo papa sexto sanctus Benedictus patronus Europae creatus est, quod multa in Europam coaduniendam susceperat monachique eius media aetate, quae dicitur, libros scriptorum antiquorum cum diligentia asservaverant et copierant.



Attributa: Sanctus Benedictus saepe una cum calice fracto sive cum serpente e calice evadente sive cum libro regulae sive cum corvo sive cum spinis sive cum globo pingitur.

Patronus est occidentis et Europae, discipulorum et magistrorum, metalla et speluncas investigantium, fabrorum cupri nec non morientium. Invocatur contra febrim, inflammationes, lapides renum et bilis, intoxicationem, arte magicam.

Martinus Meier

Spes Europaeorum per saecula communis: libertas

Aeterna spes mortalium,
vitae asperae lux unica,
divina vis illuminans
nostras labantes indoles;

per Te deos attingimus,
ductrice Te resurgimus,
Tui sequaces pellimus
vanos timores mentibus;

Te absente vita squalida
omni caret dulcedine:
obire supremum diem
custodiae praeponimus.

Innata nostris cordibus,
regina sancta gentium,
iam multa splendes saecula
cursum tenendum dirigis.

En, Thessalis in faucibus,
vires nove multiplicans,
Spartana turma fortiter
Graecis inhaeret finibus.

Perenne lumen Hellados,
lingua iacis, Demosthenes,
tremenda certa spicula
in transfugas ac debiles.

Vastis in oris Africae
iacet cadaver fulgidum
magni Catonis, ultimi
virtutis almae vindicis.

Romae sereni martyres,
Ecclesiae sanctae decus,
fidenter immolant Deo
vitam suam purissimam.

Valentiam, dux inclute¹,
Mauris diu regnantibus
tuo fugatis agmine,
Christi redonas asseclis.



Villelme², fortis
funditor,
ballistula
pomum feris
gnati caput
gravans tui,
Helvetiosque
suscitas.




Malos
latrones
Turcicos,
armate



rex, exterminas
fines prementes
Hungaros³:
Europa te laudat
memor.

Batave scriptor elegans⁴,
iniqua spernens tempora,
Erasme, firme praedicas
colenda iura spiritus.



Dulcis poëta⁵, Graeciam,
Britanniae procul plagis,
defendis atque nil timens
letum decenter oppetis.



Boheme⁹ servae
patriae
alumne digne
laudibus,
pyra ex tua
perenniter
ignes sacros
accendimus.



Thorace rubro nobilis,
utrumque mundum
pervagans,
Iosephus ille⁶ gen-
tibus
iugum molestum
decutit.

Futura, quaesumus, rege⁹
manu perita saecula:
nostri nepotes liberi
fruantur omnibus
bonis.



Nullum relinquo
angulum
globi tyrannis subditum;
per Te genus mortaliū
iungatur insolubili,

iam tempus est, ligamine:
belli nefasta munera
ex orbe toto demove,
ubique pax regnet sine!

Praeclare rector Angliae⁷,
et lacrimas et sanguinem
promittis
aeque civibus,
at barbaris
obstas feris.



1. agitur de Rodrigo Diaz de Bivar, qui anno MXCIV urbem Valentiam ex Arabum dominatione liberavit.
2. mentio fit Vilelmi Tell, qui decimo quarto saeculo p. Ch. n. Helveticae libertatis fundamenta iecit.
3. de Ioanne Hunyadi loquimur, qui Pannoniam quinto decimo saeculo rexit.
4. ad litterarum cultorem eximium hoc loco spectamus, qui quinto decimo saeculo floruit.
5. de Georgio Byron mentionem facimus, qui pro Graecorum libertate vitam immolavit.
6. Iosephus Garibaldi, «utriusque continentis heros».
7. agitur de Vinstonio Churchill, qui altero inter omnes gentes bello exorto Britanniam gubernavit.
8. de Ioanne Palach loquimur, qui anno MCMLXIX se vivum combussit.
9. Libertatem ipsam, ut par est, hoc loco rursus invocamus.

Carmen dimetris iambicis scriptum
Orestes Carbonero

De conflictu Hungarorum cum Solymano Turcarum imperatore ad Mohach



«Fuimus semper scutum et clipeus omnium aliorum Christianorum», Stephanus Brodericus scripsit. Relatione cladis ad Mohacs acceptae, quam in formam epistulae ad Sigismundum I. regem Poloniae rededit, res gestas tradere, causas earum aperire, rumores falsos et calumnias malignas refutare voluit. Circa

annum 1470 in villa Polyana seu Jarosin in comitatu Körös nobili sed haud potenti genere natus est Stephanus Brodericus. Sumptibus Georgii Szathmari episcopi Quinqueecclesiensis Paduam, tum Bononiam studiorum causa petivit, annoque 1506 doctor iuris canonici in patriam reversus in cancellaria regia munus iniit, deinde secretarius a patrono assumptus est. Initio minoribus tantum beneficiis ecclesiasticis exornatus canonicus Zagrabiensis, Quinqueecclesiensis creatus est. Anno 1526 episcopus, demum anno 1537 Vacienis ordinatus est. Eodem 1526 anno etiam munere cancellarii regis fungebatur. Saepius legatus ad exterarum nationes, immo ad ipsam Romanam curiam mittitur. Superstes cladis ad Mohacs acceptae primum partibus Ferdinandi, deinde regis Iohannis addictus est, sed semper studebat, ut otium et tranquillitas pacis pro integritate et salute regni Hungariae asservaretur. Quamobrem et cum hoste Turco de tributis pendendis et cum sectatoribus religionis a Luthero innovatae quodammodo convenire suavit. Sed maior pars virorum, qui eo tempore rebus gerendis praefuere, ab his consiliis abhorruerunt. Bonae utilesque animi indoles nil viro frugi illi ad auctoritatem augendam profuerunt. Consiliis de re publica repulsis se a negotiis publicis removit. Anno 1539 Vaciae mortuus est.

Qui anno MDXXII ad Adrianum VI. pontificem maximum scripsit, sollicitus: «Quali pontifice si unquam alias indignit respublica Christiana, nunc certe maxime indiget, cum adversarius eius tanquam leo rugiens circuit quaerens, quem devoret, quam Christiani imperii partem invadat et pe-

nitus absorbeat. Circuit inquam ab omni parte, nunc terra, nunc mari, assidue quatiens atque infestans. Qui non satis habens omni Asia, quae Christiani olim iuris erat perdomita, magnam Europae partem e corpore Christiani imperii avulsisse, iam circum ipsa Christianae reipublicae intima viscera crudelissime grassatur, iamiam, nisi omnium ope resistitur, totius Europae imperio potiturus.»

Regnabat eo tempore, quo Hungariam Solymanus Turcarum imperator validissimo exercitu est aggressus, qui fuit annus a Christi nativitate sextus et vigesimus supra millesimum et quingentesimum, Ludovicus eius nominis secundus Hungariae et Bohemiae rex, Vladislai Kazimiri ex Anna de Candale Galla filius, qui patre in aetate pupillari amisso agebat eo tempore, quo bellum est ei per Turcam motum, primum et vigesimum annum. Fuerat ei paucis mensibus ante patris mortem desponsata Caroli imperatoris ac Ferdinandi archiducis Austriae soror Maria, quam statim, ut ad annos pubertatis pervenerit, duxit in uxorem, sorore sua natu maiore Anna eodem tempore Ferdinando in matrimonium tradita.



Regi Ludovico nunciatum est Solymanum pace cum omnibus finitimis in annos plures firmata arma infesta contra se terra aquisque movere, cui ad id faciendum magnam praebebat opportunitatem Belgradum et Sabacia paucis ante annis in potestatem redacta, Zalankemen et omnibus aliis oppidis citra Savum eodem tempore dirutis usque ad Varadinum Petri, quem antiquo vocabulo Sirmium appellamus, quae res talem hosti aditum in Hungariam patefecerat, ut quoties Savum transire et in Hungariam irrumpere vellet, aegre posset ab eo prohiberi.

Paulus Thomory, qui, ubi exploratum habuit Turcae in Hungariam adventum, non contentus id per litteras et nuncios saepe antea regi significasse, consensis raptim levibus curribus, ad regem tunc Vissegradi agentem repente advolat adventum et apparatus hostis ac pericula, quae regno immineant, edocet suarum ad hostem reprimendum virium

imbecillitatem, celeritate esse opus ad arcendum hostem Savi apud Belgradum transitu et rem, si in tempore provideatur, tametsi difficilem, non tamen esse prorsus factu impossibilem, ad id, si necessaria sibi praestentur, suam operam pollicetur.

Rex his rebus motus, et quod adventus Turcae ex pluribus etiam aliis locis vehementer confirmabatur, conventum publicum indicit. Qui interim ad bellum necessaria parat, principes Christianos maxime vicinos per oratores communis periculi admoneat, Bohemos item Moravos et Slesitas tam nunciis quam litteris urgeat ad auxilia debita et alia sibi ad hanc rem promissa praestanda, neque omittat pontificem Romanum urgere, quantum maxime possit, ad eam pecuniam, quam in Hungaria ad militem conducendum pontifex habebat, adaugendam.

Cum ex Buda egrederetur — habebat tunc equitum ac peditum ad tria millia —, rex equum amisit, quem habebat omnium carissimum ac praestantissimum, repentino morbo absumptum, ex quo incredibili dolore est affectus, multi id pro infausto omine habuere. Nonnullis diebus inutiliter consumptis Tolnam petivit aucto iam aliquantulum exercitu, ut, cum Tolnam intraret, habuerit ad quatuor vel paulo amplius equitum millia. Venerunt et aliae pedestres pontificis copiae, quae omnes in unam summam collectae efficiebant quatuor millia peditum, armis et robore militum eleganter instructae. Ex Tolna Batham pervenit. Multi ex pagis et vicis Batham convenerunt.

Danubius paulo supra Batham scinditur in duos alveos, maior ulteriorem, quae campestris est, Hungariam secat, minor Batham et Mohachium alluit, ambo infra Mohachium in unum coeuntes insulam ibi efficiunt. Mohachii vicus habet circa se quaque versum ingentem planiciem nullis collibus vel silvis impeditam, habet ad solis occasum Quinqueecclesias civitatem, a septentrione est ei Batha, ab oriente habet illum minorem Danubii alveum, a meridie quatuor et amplius milliariis remotum Dravum fluvium, inter quem et Mohachium




sunt partim colles vitiferi, partim palustria quaedam loca. Habebat Thomory quinque aut sex equitum millia, quos iussu regis ex ulteriori ripa Danubii in citeriorem traduxerat cum exercitu regio coniungendos.



Iam apud Mohachium omnes loca in castris sibi designata occupaverant et sub tentoriis agebant. Advolat interim repente ex castris nocte intempesta ad regem somnum carpentem Michael Podmaniczky ab optimatibus missus afferens pro re certa caesarem Turcarum Dravum iam transivisse cum magna copiarum parte, reliquam cum omni celeritate traduci, certamen nullo iam modo differri ulterius posse, orare optimates regiam maiestatem, ut omni mora postposita ad eos in castra veniret de praelio cum hoste conserendo consultaturus.

Rex igitur sub primam lucem in castra venit, et quia nondum ex Buda naves venerant, quae tentoria et alia in castris regi necessaria deferebant, ad regem omnes omnium ordinum et nationum consiliarii convocantur. Agitur diligenter cum senatu et militari ordine, quid facto sit opus, cum nemo adhuc eorum, qui ex Transsylvania, Sclavonia, Croatia, Bohemia, Germania expectarentur, adesset, quorum plerosque certa spes esset brevi affuturos, hostis autem in propinquo esset non nisi duobus ad summum milliariis a castris regiis remotus, pugnam fortasse nullo pacto dilaturus, quid faciendum regi censerent, transferendane alio castra pugnae interim, dum hi, qui expectabantur, advenirent, differendae gratia, an belli fortunam cum hoste experiendam? Aderat his consultationibus Paulus etiam Thomory proxima nocte ex aliis castris hac ipsa de causa accersitus, qui cum a proelio cum hoste conserendo videretur non alienus, rex miratus, qua spe animum haberet, et eius etiam a tali proposito avertendi gratia coram universo senatu iubet eum interrogari primum de suorum, deinde de hostium numero, nam et id sciebat ille magis ipsi quam ulli alii constare ob frequentes exploratores et transfugas, qui ad eum assidue veniebant. Ad primum respondit tam in castris regiis quam in suis non esse suo iudicio supra viginti millia armatorum, in castris vero hostium dixit se certo intelligere ad trecenta millia hominum.

Locus, ubi acies fuit instructa, recesserat a Mohachio milliario uno, a Danubio praeterfluente eo loco ingens et lata vis neque virgultis neque impedita, nisi quod ad ac Danubium erat aqua bra arundine plena, ubi perierunt. «Contra nos protensus in theatri quotra quem caesar Turcollis imo descensu templo, Földwar ei pago est nomen, ibi fuerunt positae machinae hostiles», Stephanus Brodericus scripsit. «Consumpsimus maiorem diei partem in hoste expectando, qui se haud ita multis, qui levia cum nostris certamina ac belli praeludia exercebant, praemissis adhuc post colles illos continebat, dubium, nostrosne ut ad illas locorum angustias pertraheret, an ut pugna in sequentem diem dilata nos ea nocte in castris ex improvise aggressus opprimeret, quod pro ea militum et tormentorum copia, qua abundabat, non erat ei difficile factu, an ut potius nos longa proelii expectatione fatigaret.



Monachus igitur ratus, id quod erat, illos vel ad castra nostra diripienda, vel, ut nos circumveniret, tendere, de prima acie ad regem advolans iubet Casparum Raskay cum duobus aliis, quos ad custodiam regii corporis deputatos fuisse diximus, ire exploratum, quidnam illi molirentur, et ut eos, si possent, ab incepto itinere avertant», rettulit Stephanus. Tum Monachus pugnam nullo modo differendam esse monet, minus esse periculi nunc cum parte copiarum hostilium quam in posterum diem cum toto exercitu congregari, non esse de victoria dubitandum». Ad quam vocem rex statim signa canere iubet. «Et eodem tempore vidimus ingentem copiarum hostilium vim de colle illo, qui nobis oppositus erat, sese sensim demittentium, ubi caesar etiam Turcarum erat.» «Signo belli dato, fit certamen multo acrius quam pro numero nostro», narravit Brodericus. «Advolat ad regem Andreas Bathory hostes



terga dare, victoriam esse nostram. Properamus igitur ubi ad eum locum ventum est, in quo paulo ante fuerat certatum, ibi vero multa nostrorum, plura hostium cadavera per campos iacentia vidisses et quosdam semivivos et adhuc spirantes. Et eo ipso tempore rex in ordine nostro non comparuit, sive priores illos ordines, quos ante ipsum fuisse diximus, progressus, sive sublatus ex acie ab hiis, quos ei post tergum fuisse diximus, nam utrumque fieri potuit».



Fugam igitur ad unum omnes, qua cuique proximum erat, capessunt ac per ea potissimum loca, per quae paulo ante ovantes et spe victoriae pleni venerant, et per castrorum loca, quae fuerant antea ita per hostes direpta ac disiecta, ut vestigia tantum eorum superessent, et plena essent omnia eorum, qui in castris remanserant, cadaveribus.

Duravit certamen; quod nox paulo post cum imbris effusissimis est subsecuta, multis mortalibus saluti fuit. Eo die, qui pugnam est insecutus, mille et quingenti ex his, qui capti fuerant, coram exercitu victore capite sunt trucati. Nocte dieque hostes in omnes partes propinquas cursu effusi obvia quaeque vastaverunt et combusserunt nulli mortalium parcentes, non sexui, non aetati, non religioni, omnia foeda et crudelia in miseram gentem exercentes. Regis corpus, quem et ipsum ibi periisse

nonnulli dicebant, fuit postea repertum in hiato quodam terrae praerupto supra Mohachium milliario medio sub pago, quem Chiele vocamus, qui locus tunc Danubii inundatione aquam solito maiorem habebat, ibi simul cum equo ita, ut erat, armatus ab aquis fuit suffocatus, quo in loco plures etiam alii perierunt.



Facta a Stephano Broderico relata proposuit Stella Gitta

Europaeae sapientiae flosculi

Nulla est amplius erga mortuos reverentia nec benevolentia. Id potius homines student, ut vivorum sibi gratiam concilient ac favorem.

Archilochus

Sinat philosophia humanum genus a bello, quod gladiis geritur, ad dialecticas concertationes transire.

Thomas Hobbes

Laxa, quaeso, imaginationi tuae habenas: veram enim voluptatem intra domesticos parietes numquam inveniemus.

Ioannes Keats

Quotiescumque homines terrestrem quendam Paradisum fingunt atque aedificare conantur, aliquid gehennae similis semper efficiunt.

Paulus Claudel

Qui opiniones tuis contrarias habent, istos quoque aliqua saltem ingenii scintillula praeditos fac existimes.

Hugo Ojetti

Fieri potest, ut unus homo rectius cogitet quam decem milia hominum, qui aliter atque ille opinantur.

Carolus Popper

Coloribus ac penicillis pictores sordidantur, musicis instrumentis laeduntur aures ac fatigantur; scribendi arti autem tuto vacare licet, cum nullum sit periculum ne sordibus commaculeris neve alio incommodo afficiaris.

Evelinus Waugh

Quotiescumque opificinarum moderatores vel vestificos istis loqui exordientes verbis audio. "Haec est philosophica, quam sequimur, ratio", e sella confestim surgo abiturus.

Iulius Giorello

In Latinum vertit Orestes Carbonero

Fabula de Europa narrata



Agenori regi, qui Tyri, in urbe Phoenicium, vitam agebat, erat filia nomine Europa. Iuppiter amore captus puellam rapere constituit. In taurum mutatus in prato inter boves iacens Europam exspectabat. Quae ambulatiunculam faciens taurum conspexit et adspectu eius delectata in tergo tauri consedit. Taurus autem statim cum puella ad maris litus accessit et diutissime natans vesperi in Cretam advenit. Deus in insula ea tauri figuram exiit et: "Europa", inquit, "noli timere! Ego vero Iuppiter sum, te amo et tu uxor mea eris. In insula hac vitam ages et duos filios habebis, Minoem et Rhadamanthum. Nomen Minois non solum in Graecia, sed etiam in toto orbe terrarum metuetur."

Europae frater, nomine Cadmus, sororem frustra terra marique quae-rebat. Postremo Delphis oraculum consuluit. Pythia sacerdos: "Sororem tuam", inquit, "numquam invenies, invenies autem vaccam albam, quae dux tua erit. Ubi vacca consederit, urbem aedifica!"

Cadmus Pythiae verbis oboediens diis iuvantibus urbem Thebas condere potuit. Memoriae proditum est partem terrarum nostram ab Europa nomen traxisse.


Barbara Maier

Terrae Europae coniungendae sunt

Nomen Europae originem trahit a verbo Assyrio 'ereb', quod solis occasus significat. Antiquissimis temporibus nautae litora Aegaei, quae ad occidentem vergunt, 'ereb' appellabant. Consilium Europae coniunctae iam media aetate exisitit, sed via ad Europam aetatis nostrae ducens longa et molesta erat.

Initio saeculi vicesimi Europa in orbe terrarum permultum valebat. Sed bellum universale secundum haud paucas terras vastabat. Europa itaque gradu alto demota locoque egregio depulsa est. Et mercatura et vitae cultus fere interibant. 'Velo ferreo' Europa in duas partes divisa est. Quae ratione rei publicae gerendae valde dissentiebant. Sed muro Berolinae deleta aliae terrae Europae orientalis eandem viam rei publicae

deleto aliae terrae Europae orientalis eandem viam rei publicae capessendae ingressae sunt. Cogitationes Europae unius paulatim percipiebantur.



Victor Hugo, poeta ille Francogallicus, hoc fere dixit: "Aliquando vos, Francogallia, Italia, Britannia, Germania et vos aliae Europae nationes societatem inter vos inibitis, sodalitatem firmam constituētis. Tum infestis signis non iam consistetis. Ratione mercaturae coniungemini. Fetus ingenii vestri eximius erit."

Dicta illa secunda parte saeculi decimi noni Lutetiae Parisiorum cuiusdam concilii pacis universalis causa a poeta praeclaro facta sunt.

Barbara Maier

Regiones Europae tegendae sunt

Silvae morientes, fluvii polluti, agri nimium stercoreati non solum in Europa inveniuntur. Tamen res nostrae gravissimo loco sunt. Homines Europaei enim in spatiis locorum angustioribus convivunt quam homines in America vitam agentes. Praeterea Europa pars ea orbis terrarum est, quae saepissime a viatoribus visitatur. Itaque necesse est nos omnes regiones naturae adhuc intactae et situ amoenissimo eminentes optime conservare. Iam circiter D horti naturae reservati tota Europa existunt. Permultis locis autem natura adhuc intacta ornatis pericula varia a hominibus intenduntur. Ad exemplum revoco illud mare vadosum, quod



pertinet a quadam regione Batavorum usque ad paeninsulam septentrionalem Angliorum. Mare id

Mare vadosum in regione Frisiorum situm



Pipistrellus, Hyla arborea, Myoxus glis sunt bestiae, quibus extinctio imminet.

vero maximi momenti est. Est enim uberrimum variis avibus, piscibus algisque. Regiones huius generis nobis maxime conservandae sunt. Simus defensores custodesque earum! Nulla est expectatio aut minimi dilatio temporis.


Barbara Maier

Europam nostram aedificemus !



Quali fuerit ipse ingenio Chlodovechus haud compertum habemus; quae autem providenter et certa ratione gessisse traditur, ea neque illa in gente neque tempore illo fieri poterant. Hoc et dicere licet nec ipsae res patiuntur quemquam infitari: illum inter Barbaros barbarum sane hominem fuisse, sed egregiis animi facultatibus praeditum et illa inexplebili agendi cupiditate quae eis facultatibus comitetur, ex eo autem numero qui, cum nulla re nec expleantur nec desistere cogantur, otium pro taedio et labore habeant, et ad se commovendos nati sint, quia in iis ipsis ea vis insita sit qua omnia moveantur, neque moram ullam sibi patiantur esse si vel scelus perficiendum sit vel aliquid eis obstet aut minetur. Hoc principium fuit bellorum quae perpetuo Chlodovechus gessit. Qui, non externa necessitate vel movenda tribu, vel alia huius modi causa, sed sua ipsius natura, agendi dominandique cupidissima, huc illuc inter gallicas gentes impulsus est, et, e duce aliquot milium militum, Francorum in omnes alios finitimos populos dominationis conditor evasit.

Talia ingenia, postquam homines ad cultiorem agenda vitae rationem pervenere, clades sunt gentibus nec quidquam prosunt; rudibus quoque barbarisque aetatibus clades quidem sunt, sed ab eis magnae civitates oriuntur. Duros longosque labores suscepit Hercules, salutem humano generi daturus. E quibus prima pax est. Quam ubique in Graecia manu ac viribus imponet. Nam monstra, hydrae, leones veteris terrae primogeniti, suffocantur. Novi tyranni, latrones, quam sit eius clava Tutae fiunt infames silvae, saltus infausti. Indomita vincuntur flumina, coartantur, recta coguntur ire. Quorum iam ripa via est. Itaque libere Graeci commeant, inter sese miscentur, Olympiam congregantur, ubi ante Iovis aram Hercules pacis certamina condidit incruenta. Quo in loco edocet ipse quibus exercitationibus et Hercules futuri sint et placida virtute animi gignantur, et homo fundetur inexpugnabilis, quippe qui, ut Iustitiae inserviat, ferreus fiat. Sed nulla certantium fervidior aemula-



tio, nulla simultas. Una est ex olea corona, qua ludorum suorum victores donet. Nempe, civitatis mutata forma, mutati sunt animi hominum; qui, ut omnia quae vivunt, alio si aere vescuntur, alii fieri solent; hoc enim post hominum memoriam perpetuo constat. Itaque, cum, ut tempora, sic et animorum affectus et pulchritudinis genera sua quaeque producat aetas atque progrediens humana gens cum societatis figuras, tum excellentis pulchritudinis species post se relinquat, quae postea nunquam reperiantur, nec licet ulli aetati ex sua pulchritudinis aestimatione superiores aetates iudicare, nec ulla aetas a superiorum aetatum pulchritudine pulchritudinem suam mutari debet. Quid igitur? Nec detrectare nec imitari decet, sed et nova excogitare et priora intelligere.

Estelle Gitta



De Europae confoederatae et regionum Europae inventione

De Europa consociata cogitare Denis de Rubromontio (Rougemont) cordi erat. Quamquam originis Helvetiae neutrius partis fuit, per totam vitam operam dedit ad Europam consociatam invenendam, quae ab exemplo Helvetiae incitata erat in nova forma confoederationis Europaeae invenienda. Primi conatus perveniendi ab idea animo concepta ad actionem politicam facti ab Richard Goudenhove-Kalergi ex anno 1923 et eius congressus Vindobonae anno 1926 sunt in origine memorandi Briand anno 1930, cuius redactor Alexis Léger alias Saint-John Perse, poeta magnus, est. Non mirum auctorem unionis confoederatae Europaeae inventorem colloquii Europaei esse, qui in consilio Schumann ab Jean Monnet inito invenitur. Resistentia bello exeunte impetus orti sunt, qui confoederationi Europaeae favebant.

Iterum inventio facta est impulsu scriptoris et cogitatoris, Denis de Rubromonti. Cuius partes sunt in cursu confoederato unionis Europaeae confoederatorum. Congressus Montreux in oppido habitus anno 1947 signum relationis eius gessit titulo 'De statu confoederato'. Ex eo apparet necessitatem confoederationis Europaeae manifestam esse: Maturatio historica progressa est, formae iam adumbratae sunt. Deest nihil nisi Charta confoederata instrumentorum representantium et ultimus impe-

tus, impetus popularis, qui regentes ad agendum coegit. Talia Rubromontius anno 1947 animadvertit. Participibus congressus Montreux in oppido sex principia vel virtutes secundum Montesquieu ad deliberandum proposuit, quibus confoederatio constituitur: Renuntiatio hegemoniae, protectio minoritatis uniuscuiusque et civitatum et regionum confoederatarum: Partes sine proportione concessae partibus confoederatis mediis et parvis. Postea, principium succurrendi et dimensio regionum visionem Rubromonti augebant. Hae sunt cogitationes fundamentales, quibus manifestum congressus Hagae (Den Haag) anno 1948 sustinetur, cuius redactor principalis Rubromontius fuit: Confoederatio Europaeae, conventus, charta et iudicium iurum hominis ibi locum bonum habebant. Quae ad consilium culturale attinent, affirmat unionem Europaeam in unitate profunda eius culturae consistere, unica et varia, quae fundamentum foederalismi Europaei efficit. Ut conscientiae Europaeae vox daretur, proposuit collegium Europae et centrum Europaeum culturae creare, quod conditum est anno 1950 Genavae Denis de Rubromontio moderatore. Inde cogitationes eius elucere pergunt testes auctoritatis et ingenii Rubromonti, propagationis scriptorum eius et cogitationum inspiratarum experientia foederalismi Helvetici.



Denis de Rougemont et
Dusan Sidjanski

*Photographema
die 23^o m. Oct. a. 1976*

Itaque Helvetiis insciis modus vivendi Helveticus praesens fuit in Europa consociata quaerenda, quae foederalismum facit velut dominus Iordanius (Jordain) orationem solutam. In hoc fundamento cogitationum unio Europaea aedificatur, incitata a visionario pragmatico, Jean Monnet. Hic progressus cogitationum et impetuum finalitate divisa, creatio confoederationis Europaeae, formam accipit post 50 annos laborum et contentionum constitutionis Europaeae. Utopia visionarii somniantis Neocomi (Neuchâtel) et visionarii pragmatici Coniaci (Cognac) gradatim ad effectum perducuntur.

Dusan Sidjanski

In Latinum vertit Daniel Weissmann

Imperialismum cavendum esse

Animadvertas licet quomodo se Romani gesserint. Devicto enim Antiocho, Africam, Asiam, Graeciam in potestate sic habuerunt, ut nullas fere urbes proprias obtinerent. Idcirco cepisse videbantur, ut donarent. Sed imperium ipsi adeo exercebant, ut, si quem regem peterent bello, eum totius orbis terrarum pondere, ut ita dicam, obruerent.

Gentium subactarum potiri nondum tempus aderat. Nam, si de Philippo captas urbes retinissent, Graecos iam attentiores fecissent; si agros, postquam cum Carthaginensibus iterum aut cum Antiochio bellaverunt, vel in Africa vel in Asia occupassent, ea non servare putuissent, quae tam incerta possessione tenerent. Expectandum fuit dum gentes omnes, antequam ut subiectae regerentur, ut liberae sociaeque parere assuevisent et in rempublicam romanam sensim coaluissent.

Ecce foedus illud quod cum Latinis apud Regillum victis fecerunt; unde magna ex parte potentia romana orta est: non in eo verbum invenias unum, quod imperii suspicionem moveat. Sic lenta quadam dominandi ratione uti solebant. Quod si quem vicerant populum, nihil aliud agebant nisi ut vires eius frangerent, iis impositis legibus quibus comminueretur paulatim; idem si resurrexerat, demissius eum affligebant, ad oboedientiam ita coactum, ut quo tempore coepisset oboedire nequaquam dici posset. Itaque Roma, ut verum dicam, nec regia fuit nec libera civitas, sed caput illius corporis quod ex omnibus terrarum gentibus constabat.

Sociis utebantur ad bellum cum aliquo hoste gerendum; sed confestim eversores evertabant. Nam Philippus per Aetolos devictus est, qui brevi postea, quod societatem cum Antiocho iunxissent, funditus deleti sunt. Antiochum vero Rhodiis adiuvantibus vicerunt; sed hos quoque, postquam amplissimis ornarunt praemiis, ob eam causam in omne tempus depresserunt, quod petivissent ut pax cum Perseo fieret.

Adversus plures hostes cum simul dimicandum erat, indutias infirmissimo eorum dabant, qui, quod eas impetrasset laetatus, magni quidem

aestimabat quod perniciem sibi distulerat. Senatus, si magno tenebantur bello, omnis generis iniurias tegebat, per silentium exspectans dum tempus expetendarum poenarum adesset. Quod si ad illum gens quaedam auctores rei miserat, hos punire recusabat, quippe qui totam civitatem nefariam habere mallet et commodiorem sibi ultionem parare.

Quoniam incredibilia damna hostibus affere solebant, nulla fere contra eos hostium societas facta est: qui enim a periculo longissime aberat, propius nolebat adire. Ex quo fiebat ut bellum haud saepe acciperent, sed semper quo tempore, quo modo, quibuscum visum esset gererent; atque e plurimis quos aggressi sunt populis vix paucos invenies qui non omnes iniurias tulissent, si pace licuisset uti.

Estelle Gitta



De ense et calamo

Postquam apparuerat bellum civile, se effuderat huius torrens, et texerat huius vestis syrma quietis pulchritudinem, obsederunt Morabitaie Cordobam, in qua erat filius al-Mamunus, celebratissimus principum sui temporis virtutibus, eorumque felicissimus, qui nunquam occupatus erat in porrigendo vino, neque calcabat rebellionis viam, ad poenitentiam ducentem. Tunc illam urbem per aliquot menses obsidebant, et adeo eam obsidione cingebant et arcte includebant, ut dixisses ideo circum eam demissas fuisse cortinas; invadentes eam serpentium instar, et mane ad eam adducentes gravem obsidionis morbum. Conceperat vero al-Mamunus animo timorem et exspectabat ab iis malum grave quod ipsum obiret. Transportare itaque iussit familiam et opes al-Modauwarum (*Almodovar del Rio*), postquam illam arcem munitaverat, et impleverat instruxeratque apparatu bellico. Ipse autem in palatio Cordobensi mansit metu percussus, primae voci occultae aurem praebens, observansque unde haec veniret, donec Morabitaie die quodam ad urbem accederent, ex pacto quod cum incolis inierant, ex quo conscenderent muros et irruerent in urbis loca eminentia et depressa. Urbem cum intrassent substiterunt tamen reverentia perculti, et ex alto prospexerunt timentes. Urbis autem populus tessera iis signum dabat, et sequebatur cupidines ipsius rebellium et hominum nequam, at unusquisque tamen cunctabatur et pusillanimum se gerebat, et putabat

illud conamen terribile esse, in quod quomodo irrueret, nesciebat. Tandem tamen huius difficultatem levem putaverunt, et penetrarunt in eius vias. Perrexerunt itaque ad palatium; noverant enim exercitum destitisse a defensione et a principe adiuvando. Cum eos animadvertisset al-Mamunus exiit cum parvo militum numero et gladii acie crenis referta. Sed structae erant in eius via insidiae, et in ea retia erant tensa, in quibus suspensa mansit eius habena, et ex quibus exitium ad eum iactum est. Tunc se demiserunt in eum ut se demittit is qui vulnera infligit, seque effuderunt in eum, ut aves se effundunt in prata. Tunc nullus ei relictus est locus ubi subsistere posset, nullamque ad evasionem portam inveniebat apertam. Deinde abscissum est eius caput et a corpore divulsum, immissumque est in fluvium, qui illud celeri cursu abripuit. Posquam autem hoc caput advenerat in castra Morabitarum ibique constiterat, elatum est in hastam, cum eo circumiverunt in castrorum lateribus, et eo metu percussus est cor illorum qui prope castra erant. Eius autem corpus manebat in terra proiectum, perinde ac si anima regni non fuisset, nec superbo modo incessisset in huius atriis; similis igitur erat ramo vento agitato. Haec autem summi Dei decreto facta!

Erat al-Motamidus rex, qui hostium caput percutiebat, et in quo coniunctae erant virtus bellica et liberalitas; qui oriebatur mundo tamquam plena luna viam monstrans; cuius neque manus unquam otiosa erat, neque digiti; nam modo eminebat eius calamus, modo eius cuspis. Eius regia sedes erat locus, quo hominum curae se efferebant, et in quo pascebatur populi multiplex spes; et urbs, quam habitabat, reddita est omnium urbium pulcherrima: in qua perspicue loquebantur duae linguae, ensis scilicet et calami. Interfecti sunt initio inimicitiae et belli civilis quod exstitit al-Mamunus et ar-Racius, regis filii. Nempe abierunt Morabitaie Rondam, unam ex munitis Hispaniae arcibus et huius metropolibus altis et excelsis, ex qua profluunt, etiamsi longa adscensus sit via et astra castelli pinnis sint propinqua, fontes ex quorum effusione existit sonus ut tonitru vehementer sonans, aut ut venti validi; deinde hi fiunt flumen, se circum latera arcis flectens, ut serpens, et huius asperitatem et robur augens. Pro torque autem sibi ceperat arx regiones et tractus circumiacentes, et curaverat ut sibi in his adessent res necessariae et tales quibus indigebat, dum nihil itaque quod petebat arx, cunctabatur, nullusque hostis in illis tractibus concidebat quin ei adhaereret dens et aduncus unguis. Castra igitur Morabitaie longe ab ea

posuerunt, dum spes nullum de ea capienda iis dederat promissum. Erat in ea al-Motamidi filius ar-Racius, qui non curabat quod e regione ipsius obsidionem inceperant, quique hanc obsidionem calamitatibus suis non adnumerabat, quia optime se contra eam defendere poterat, et quia nimis alto erat loco quam ut ipsum attingere possent: donec Hispali res ad infelicem exitum venissent, et pervenisset ad infaustum finem patris imperium. Tunc huic patri persuasum est, ut ad filium scriberet eo consilio ut hunc permoveret ut a suis arcibus descenderet, et iis Morabitis traderet suos nobiles milites. Descendit igitur pietati erga patrem obsecutus, et servare volens cognatorum vitam, postquam cum Morabitis firmum pepigerat foedus, et inierat cum iis, invocato Dei nomine, pactum, atque solemne securitatis promissum acceperat. Sed cum ad hos venisset et in horum esset potestate, deflexerunt cum eo ad castelli latus, sorbendam ei praebuerunt noxam, et interfecto terram madidam in foedum assignaverunt. Ideo sic canit al-Motamidus, utriusque filii mortem celebret carmine elegiaco, quod vertit in Latinum R. Dozy; viderat autem rex columbam, moerorem suum manifestantem, deflentem suo modo habitaculum; ante eam erat nidus in quo duae erant aves repetentes lenem cantum, modulantes sonos, et animi angorem prodentes iucundaque cantantes:

«Flebat illa quia viderat duos familiares quos vespera unus coniungebat
nidus, sed ipsius socium fortuna exitio dederat.

Planxit et manifestavit arcanam suam cogitationem, deinde vera hanc
occultavit, nullamque protulit vocem qua haec manifesta redditur.

Quid igitur? an ego non flebo? Num cor durum est saxum? Quot autem talia
in terra sunt, e quibus fluit flumen!

Deflet unum, nulla re illum dolore afficiente praeterquam quod illo careat;
ego autem defleo ingentem sociorum numerum;

Filium parvum, vel amicum unanimum; hunc lacerat desertum,
illum submergit aqua;

Et duas stellas, huius aevi ornamenta, quas asservavit Cordobae calamitas vel
Rondae sepulchrum.

Ego perfide egi; si ita est, tunc reprehensione dignus fio si palpebra mea
guttae avare parcit; sin vero vilis habetur anima mea, huius socia est patientia.
Dic astris splendidis: deflebitis illos duos mecum, nam propter tales ut illi erant
tristia erunt astra.»

Rettulit Stella Gitta

Proverbia Hispanica



Palabra y piedra suelta, no tiene vuelta.
Dictum et lapis emissus revocari non potest.

*

*En boca del mentiroso, lo
cierto se hace dudoso.*
In ore hominis mendacis
certa dubia fiunt.

*



Gota a gota se llena la bota.
Guttatim dolium completur.

*

Quien tiene el tejado de vidrio, no tire piedras al de su vecino.
Ille, cui tectum vitreum est, ne lapides in tectum vicini sui iaciat.

*

Si fuera perro, yo te hubiera mordido.
Si canis essem, te momordissem.

*

La mala yerba presto crece.
Herba mala cito crescit.

*



A otra puerta, que ésta no se abre.
Ad aliam portam, cum haec non
aperiatur.





*Cuando hablores de alguien, mira de quién,
dónde, y qué, cómo, cuándo y a quién.*
Loquens de aliquo, bene attende, de quo,
ubi et quae, quomodo, quando et ad quem
loquaris.

*

Tirar la piedra y esconder la mano.
Iacere lapidem et manum abscondere.

*

Bailar bien y bailar mal, todo es bailar.
Saltare bene y saltare male, omne saltare
est.

*

Buena es el agua, que cuesta poco y no embriaga.
Aqua bona est, quia parvo constat neque inebriat.

Cuando el río zurrea, o lleva agua o piedra.
Cum fluvius strepit, vel aquam vel lapides secum
fert.

*

Cada cabello hace su sombra en el suelo.
Omnis capillus umbram suam in solo facit.

*

A las obras me remito.
Res gestas specto.

*

Más es el ruido a veces que las nueces.
Interdum fragor nucibus maior est.



No hay plazo que no llegue, ni deuda que no se pague.
Non est dies, qui non venit neque debitum, quod non solvitur.

*

No hay bien ni mal que cien años dure.
Neque bona neque mala centum annos durant.

*

Nada es grave a quien esperar sabe.
Ei, qui sperare scit, nihil est grave.

Si no errase el cuerdo, reventaría el necio.
Sapiens nisi erraret, stultus periret.

*

Amor comprado, dale por vendido.
Amorem emptum venditum puta.

*

Buen corazón quebranta mala ventura.
Bonum cor malam fortunam superat.

*

La codicia rompe el saco.
Rumpit avaritia saccum.

*

Quien mal anda, mal acaba.
Illi, qui male ingreditur, malus
finis est.

In Latinum vertit Daniel Weissmann



Facete lepideque dicta

Ad filiam pater: "Guarnerium tibi non aptum maritum fore puto. Nimis credulus est." - "Cur ita cogitas, pater?" - "En, heri mihi centum francos Helveticos mutuos dedit."

Eva praecepto stabuli autocinetici: "Dic mihi sincere et aperte, domine: Poterisne aliquid reficere in autocineteto meo?" Tum praefectus dubitans: "Fortasse inter utrumque numerum novum autocinetum addi poterit!"

Solitaria avia primum aëroplano volans loculum secretum quaerit, sed ianua falsa usa diaetam aëroplanigarum intrat. Horrore captus hospitam adit querens: "In loculo secreto mulieribus reservato tres viri televisorium spectantes sedent!"


Telegramma dictans iuvenis verba haec profert: "Puzzi-Puzzi amat suam Duzzi-Duzzi, Duzzi, Puzzi, Duzzi, Duzzi." Telegrammatum officarius perhumaniter: "Si vis, domine, gratis *Duzzi* unum addere potes." Sed iuvenis indignans: "Hoc nolo, quia nimis stulte sonat."

"Hoc iam diu e te quaerere volebam, amica carissima: Cur mariti tui facies tam perforata est?" - "O, quia iste nimis parcus est in fluento elettrico parcendo: Nuper ne in cenando quidem mihi permisit, ut lumen incenderem."

E militia elapsurus vir medicum militarem adit atque queritur: "Ades mihi, medice, in scalis ascendendis mihi aër deest." Sed medicus his verbis non motus: "Nulla causa curarum, domine miles: Nostra bella plerumque humi exhibentur!"

"Reor nobis medicis non multos amicos in terra esse", inter conventum medicorum quidam ad collegam dicit. Tunc alter suspirans: "Timeo, ne in caelo immo pauciores sint."

Martinus Meier



Incepta eruditionis Latinae ludi superioris in oppido nomine "Düdingen" anno 2003

De tabulis ceratis Romanis conficiendis

Marie Gachet, Fabienne Grossrieder, Michèle Fasel,
Manuela Elsener, Christian Baeriswyl
Marco Fasel magistro adiutore

Postquam dominus Fasel tabulas in formas aptas serra dissecavit et praeparavit, superficies tabularum excavata est.



Lente granuli cerae apium celefiunt. Odor mirus quidem in imagine cerni non potest!

Fabienne prudenter sed non nimis tardans ceram fervidam in tabulam infundit. Iterum fundendo ad corrigendum vestigia in cera relinquuntur.




Stilus ex molli filo ferreo quinque milimetrorum diametri cuditur. Puellae posteriorem partem fili ferrei non calefacti malleo cudunt, ut plana fiat. Sic ad scripta corrigenda singulae litterae facile eradi possunt.




Acumen styli non nimis tenue esse debet, sed paululum hebetatum. Sic facilius in cera scribi potest.

Stylo metallico scriptura quadrata facile scribi potest. Parvi errores parte plana styli eradendo corriguntur. Tum iterum eodem loco scribitur.



Opus egregium ex tribus tabulis, quarum quatuor paginae conscribi possunt, *triptychon* dicitur. Opus simplicius duabus ex tabulis constans Romani *tabellam duplicem* dicebant. Omnes tabulae adhibebantur ad epistulas, apochas, documenta vel... pensa exercitanda in ludo scribenda.

In Latinum vertit Daniel Weissmann



Peracute responsa

I

Interdum ab improbis corruptissimisque collegis maledico in schola dente carpor, quod nimia facilitate altiora discipulis interrogatis puncta donem.
 "Me" - ita respondere istis consuevi - "sane paeniteret, si altiora vendidisse puncta accusarer."

II

In discipuli cuiusdam diario maledicam istam ac blasphemam forte deprehendi cantilenam:

"Sancte Maxime Confessor,
 fac ut meus pereat professor!"

Cum iusta de causa suscensuissem, scriptum hoc apposui additamentum:

"Gentilium faciat deus Vertumnus,
 ut scelestus iste dispereat alumnus!"

III

Matrem quandam familias de insanis filii propositis querentem, qui Latinarum fieri vellet litterarum professor, ac me oblique implicateque reprehendentem, quod malum rudi iuenculo ac paene exitiale inculcavisse consilium, extemporali huiusmodi responso castigavi: "Nemo me in triviis stipem mendicorum ritu a viatoribus implorantem umquam conspexit"

IV

Theatricus quidam moderator, inani tumens superbia: "A plurisaeculari" - inquit - "oblivione hanc comicam fabulam equidem vindicavi."
 "Nullas profecto" - prompta ei mordacitate respondeo - "fabulae istius scriptor, si revivisceret, ageret tibi gratias."

Lycei triennio ad exitum tandem vergente, ad cenam a discipulis invitatus sum, arrogantem quorum inurbanamque rusticitatem per tres solidos passus eram annos.

Cum invitationem abnuere haud satis esse videretur, hoc adiungere placuit distichon:

“Ominor ut vobis contingat, sordida turma,
ingestis vixdum mox vomitare cibis.”

Orestes Carbonero



Dialogus inter probos

Tyrannus:

«Semper putavi me, cum in terris essem, hic liberum esse oportere. Quod si apud Barbaros natus essem, non tam regnum ut imperarem invasissem, quam ne parerem. Nunc, in populari civitate natus, gentium domitoris gloriam adeptus sum, cum famam liberi viri quaererem. Urbi, cuius ego civis essem, libertatem eripere maximum scelerum habui. Quod quidem et vindicavi, nec mihi quidquam pensi fuit, paesidium an pestis rei publicae futurus essem.»

Homo vere civilis:

«Bene est, domine, quod non multas tui similes dii generi humano dederunt. Quippe, ad mediocritatem nati, magnis et excelsis animis obruimur. Ut supra homines homo aliquis exsistat, ceteros graviora pati necesse est!»

Rettulit Stella Gitta

De Ioannis Calvini vita (II)



Quantum ad eius castitatem continentiamque pertinet, de ea nihil ego neque affirmare, neque negare possim; hoc solum, mussitates frequenter auditos. Praeter eum sermonem, qui de Provinciali adolescente erat, quem multa ei furto abstulisse supra diximus, multi, quos iudicio voluisse constat, longe aliter, quam de eo Beza scripsit, iudicaverunt; non quidem forsitan de extremis eius diebus; quando graviter tortus, cum morbo conflictabatur; sed eo tempore, quo nobilis matrona oppidi Mougis, marito, quem Lausannae relinquebat, non salutato, Genevam demigravit, quo maritus venire non erat ausus. Et ante hoc tempus etiam exploratum habeo, matronas in suspicionem vocatas, de quibus vulgo mussitabatur, quae saepe et valde familiariter ipsum domi suae conveniebant sine arbitris, nisi forte cum infante, quem manu secum ducerent, et Bibliorum volumine, quod sub axillis gererent; quae si in quem cognatorum aut amicorum per viam incidissent, rogarenturque, quo iter haberent, responsum alacres dabant, ire se quaesitum sanctum hunc hominem, scrupulum ut illis quendam eximeret, seu ut dubium illis quoddam solveret, et manebant apud illum longo tempore. Singulariter autem erat sermo de cuiusdam nobilis viri uxore, quae in provincias has religionis istius studio commi-



graverat; nomini ob certas causas parco; domicilium autem habebat non procul Geneva, quasi medium inter hanc et liberam terras apud Saconnay, in territorio Gez; ipsa iuvenula, blandula, bellula, eleganti forma, atque alacris. Ad quam Calvinus frequenter, et valde quidem frequenter divertebat, ut cenaret; pernoctabat vero etiam marito absente a domo, et peregre extra provinciam profecto. Et scio ego, noverunt etiam alii famulam, quae Dominae illi tum inserviebat, iuratam detexisse, et esse fassam, vestigia se in lecto herae suae duplicia offendisse, etiamsi maritus peregre abesset. Atque Calvinus illic ea nocte et cenaverat, et dormiverat; famula autem nimium



loquax ob hos sermones primum increpita, dein de domo etiam exacta est. Sed hoc ego in medio relinquo, sicne sit, an secus; tantum dicam, in quo bonos cordatosque viros mihi assensuros existimo, meminisse ipsum debuisse, idque exequi, quod Paulus ad Thessalonicenses cap. V. admonuit, ab omni mali specie abstinete, inquiens. Unum praeter caetera valde certum et multis etiam cognitum, praeterire non debeo, de Domina nimirum Iuliana de Brederode, Iacobi de Burgundia Domini de Fallais, cuius supra mentio etiam facta est, coniuge. Hic Nobilis, a quo tempore Genevam intravit, imbecilli semper valetudine fuit, et sub medicorum cura. Quem Calvinus nonnunquam invisens matronam Iolandam eius vxorem saepe sic est allocutus. Quid facies, inquiens, hoc homine tam male affecto?

Nunquam erit, tibi ut servitium exhibere queat; me si audias, mori ipsum fines; et quantum abest, ut mortuus sit? Quem si mori contingat, nos inter nos coniuges erimus. Indignata hoc sermone et valde offensa Domina, marito suadet, Geneva relicta, ad Bernenses ut abeat, persuadetque, nam sic fecit. Illa autem clam hoc tenere non potuit, sed multis bonis et honoratis viris narrare consuevit, et ego narrantem, cum maritus praesens esset, audivi. Caeterum hoc notandum, eorum, qui Genevae, vel quousque eorum iurisdictio porrigeretur, commorabantur, neminem de Calvino mussitare, aut quidquam queri ausum, cui non vel exilium, vel mors statim parata esset: Mille enim astus, mille cautelae ipsi in promptu et ad manum erant, quibus hoc ausos, ut se adversus eos tueretur, impetebat. Nam eos rumore in vulgus sparso, homines esse improbos, atheos, Libertinos, perduelles, patriae hostes atque prodito-



res, sic exagitabat, ut vel mortem ipsis, vel exilium procuraret. Cuius rei exempla aliquot recensebo, non magis mihi, quam aliis multis singulari prudentia viris, qui diligenter eius praxin, et, quo uteretur, astum notare, et observare consueverunt.

De Castalione, Carolo, Bernardo Ochino, et de Petro Morando, nihil dicam, quorum ipse praesentiam tolerare non poterat, qui nullum neque magistrum admitteret, neque socium; sed dicam aliquid de quodam eleemosynario, Reginae quondam Navarrae, cui Montouseto nomen. Hic metu Regis Navarri, qui adversus eum odio incitatus ob religionem erat, seu, ut melius dicam, ob doctrinam Lutheranam, quam magno fervore tuebatur profitebaturque, cum neque in Gallia, neque in Navarrae regno satis se tutum esse et securum aestimaret, cum bona venia Reginae suae herae, et cum eius consilio Genevam commigravit, quo ad pauperum loculos peculiumque ipsa paucis ante diebus quater mille Francos ad egenorum miseriam, egestatemque sublevandam miserat. A Regina autem commendatitias ferens gratus fuit propter heram, et benigne a Calvino aliisque susceptus est; sed cum Calvinum diligenter observaret, notaretque in distribuendis eleemosynis qua is fide versaretur, et quam parum inde pauperibus subveniretur, tenere se non potuit, quin hoc questus ad eos referret, quos sibi amicos credebat. Evestigio ad Calvinum hoc aures platum est, qui multos sibi ita, devotos habebat, ut exploratorum loco ei servirent, et fuggerent, admonerentque de omnibus rebus, quae per urbem fierent, et qui de ipso sermones essent. Bonus hic igitur Montousetus ab omnibus statim desertus est, eique Calvinus ob id statim male voluit, commendationisque nulla amplius ratione habita, amici simul et subsidia ipsum destituunt. In angustias illas redactus, porlix per litteras de omnibus rebus Regiam heram suam certiozem reddit, quemadmodum Genevenses se ministri gererent, et Calvinus imprimis; tum, quae ad pauperum indigentiam sublevandam mitterentur subsidia, quomodo ipse dispensaret; ad extremum, ad Reginae opem confugiens, cuius favorem, gratiam, subsidia, et liberalitatem implorat. Nec multo post certum illa hominem ad quosdam, qui inter advenas Genevae com-



morantes praeter ceteros clari erant, veluti ad eum, quem dixi Dominum de Fallais, ad Magnificum Megrettum atque; alios cum litteris misit, admonens, Calvinum ut observarent, metuendum enim, ne novus aliquis hypocrita sit, impostorque, fumos qui Christianis vendat; nam non ignorare se quam mala fide in eleemosynis distribuendis versaretur. Divulgatum statim per urbem inter externos hoc fuit. Et Calvinus cum diu ignorare hoc non posset, simul ac rescivit, suspicatus statim, imo prope certus ex Montouseti hoc delatione provenire, quem non dubitabat Reginae herae



suae huiusmodi suggestisse, subtilem admodum fraudem imaginatus est, qua iram Reginae mitigaret, suspicionemque hanc a se averteret. Scribit igitur binas ad eandem Dominam sequenti nocte litteras, quarum alterae valde erant lenes, humiles, gratiis et comitate plene, in quibus rogabat, ne fidem adiungere vellet, vel sermonibus vel scriptis litteris quorundam maledicorum,


qui, cum turpiter viverent et Libertinit essent, ob rigorem et disciplinae severitatem, qua in illorum vitiis reprehendendis et corrigendis uteretur, ipsi male vellent, atque idcirco falsis confictisque criminibus in odium nobilium Dominorum et matronarum per litteras praecipitare conarentur; Futurum ut brevi intelligat, quanto cum zelo, et verbum Dei, et Ecclesiae negotia ipse administret. Has litteras sic scriptas, clausas, diligenterque obsignatas in vestis suae sacculum abdiderat. Alterae autem litterae vehementes erant, superbae, amarulentae, mordaces, in quibus miris eam modis perstringebat, impiam vacans, Libertinam, hypocritam, Anabaptistarum fautricem, quae domi suae clam retineret insignes duos haereticos, Quintinum et Antonium Pocque, et una cum uxoribus aleret; suam vero, quam in Deum haberet, fiduciam tantam esse, eamque conscientiam, qua sustentaretur, ut haec sibi propugnaculum essent, et murus aheneus contra omnes mundi potestates, neque se hac fretum Regum Reginarumque; et qui in mundo essent Principum iram, odium atque intentatas sibi minas quidquam pertimescere; dicam amplius, terribili Dei iudicio, quod in eius caput brevi redundatum esset, terrere ausus est. Vix credo reperiri mortalium quemquam posse, quantavis etiam dignitate excellat, qui tales, tam ignominiosas, tam procaces,

etiam ad vilissimum homuncionem dare vel vellet litteras vel posset. Has ipse sic scriptas, et manu sua tantum, usitato sibi more, subsignatas, nondum tamen clausas, manefacto plurimis simul congregatis post concionem ostendit, inter eos autem erat etiam hic Montousetus. Varia erant de illis variorum iudicia. Prudentiores tantam audaciam mirari satis non poterant, et tam illustri Dominae tam acerbas litteras scribere, imprudens factum iudicabant: Alii incogitantes minusque considerati, valde laudabant, tanquam ex Christiana constantia et magnanimitate profectum. Quantus hic est, aiebant, qui viros etiam Principes et magnates nihil veritus, veritatem neque; apud hos dissimulat? Post lectas autem, Magdalenae templum, ubi fuerat concionatus, egressus est, et duobus, qui cum legerentur, praesentes fuerant, videntibus obsignat, inque vestis suae receptaculum ad alteras illas lenes submisit atque comiter scriptas adiungit. In ipso momento, qui a Regina missus fuerat, illi designatus fuit, quem accersens priores illas, quas diximus, perbenigne et peramanter scriptas ei porrigit, commendatque, rogans, ipsimet Reginae in manus ut traderet; quod se facturum is recipit, et postquam erat pransus, iter ingreditur. Itaque qui aderant, posteriorem amarulentam illam, quam praelegi audierant, hanc ipsam esse, quam tabellarius accepisset, plane sunt arbitrati. Atque hoc pacto bonus prudensque hic vir simul Reginae fucatis litteris, et ementitae humilitatis specie illudit, simul os eis occludit, qui ex litteris a Regina missis perversam de se opinionem concipere potuissent.



Hanc historiam ad reverendissimum archiepiscopus et comitem Lugdunensem anno MDLXXX per Hieronymum Bolsecum, medicum Lugdunensem, descriptam proposuit

Stella Gitta.



Anni tempus nulla admittens discrimina



Vernale tempus vividos
praebet colores sensibus;
aegrotus autem excluditur
ab hoc iacens spectaculo.

Aestas calore torrida
nudare suadet corpora;
fugit marina litora
qui membra
celat flaccida.



Paucis hiems praefrigida
nivosa pandit culmina;
plerisque damna comparat
in urbe caenum civibus.

Autumnus unus
omnibus
aequata dona dividit:
uvae racemis dissipat
caliginis velamina.



Silens, pudicus, nubilus
meam videtur indolem
plane referre segregem,
clamoribus contrariam.

Mitis, quietus, decolor,
mentis furori impervius,
tranquillitatis prosperae
exemplar est mortalibus.

Orestes Carbonero

Atrae bilis fragmenta



Multo mane, ut meus est mos, ad diurnorum
aediculam me confero.

Venditor subridens: "Mediolanensi" - inquit -,
"quam legere soles, ephemeride emenda,
Susannae Tamaro, scriptricis illius, librum, cui
'Quo te cor ducit tuum, illuc contende' est

index, nulla adiecta impensa accipies".

"Cacatam istiusmodi chartam" - contracta fronte respondeo - "ne
muneri quidem dari mihi volo".

Tum vero, nummulis e crumina extractis, Taurinensia ministrari mihi acta
diurna iubeo.

Spei plenus quidam iuenculus mature homini omnibus fere de rebus
iam dubitanti otiose deambulans occurrit.

"Cunctorum merito" - inquit iuvenis - "excitat admirationem Fabius ille,
qui arduum cinematographici histrionis nuperrime exorsus est curricu-
lum.

"Ei opportune accidit" - aetate proventus collocutor obicit - "quod pater
ipsius praeclarus iam cinematographicus extiterat histrio".

"Dextera videtur esse praedita peritia televisifica viginti nata annos
diurnaria, cui est nomen Lucilla".

"Nihil re vera laude dignum ista fecit, nisi tricenariae sororis diurnariae
vestigia est secuta".

"Valde ab omnibus probatur cantrix illa Valeria, faciles cuius modos
cuncti per vias plateasque cantitant".

"Per maritum vero enotuit, ditissimum ilium phonographicorum orbium
fabricatorem et magnarium."

"Quo igitur" - iuvenis sciscitatur maestior subito factus - "ille se vertat,
cui gratiosi potentesque desunt parentes, seu fratres, seu coniuges?"

"Viliore" - acerrimus morum carptor respondet - "aut scoparii, aut ta-
bellarii, aut grammatae contentus esto misellus ministerio".



Ultimo scholae die discipuli festive clamantes
saltantesque e lyceorum aedificiis turmatim egre-
diuntur.

Magistrali vero tantum decore professores impediuntur, hilariore quomi-
nus laetitia incompositas et ipsi conserant choreas.

Orestes Carbonero

ERRATA


in Rumoris Varii	in pagina	falso impressum	forma recta
1/2003	4, l. 29	designanre	designare
	4, l. 30	ne se	ne de



Quod sit maius mirabile

Haec respondit in habitu peregrini beatus

Estelle GITTA



ROMULUS MAGNUS

Friderici DÜRRENMATT (1921-1990) Helvetii narratoris et comoediographi ingeniosi ROMULUS MAGNUS (“Romulus der Grosse”) comoedia historica fidei historicae contraria quattuor actibus scripta, anno 1948 primum acta, annis 1958 et 1964 retractata, anno 2000 a Nicolao GROSS Germano Coreanensi in Latinum conversa.

Comoediae pars ultima

ODOACER: Theodericus est exemplar virtutis Germanicae. Qui somniat de orbe terrarum regendo necnon populus somniat una cum eo. Itaque haec expeditio mihi facienda erat. Ego cum solus dissentirem a nepote, poetis, populo, coactus sum, ut concederem. Speravi me posse hoc bellum humaniter gerere, Romani non multum nobis restiterunt, sed quo plus versus meridiem signa movi, eo crudeliora scelera facta sunt a militibus meis, non, quia iidem crudeliores sunt quam alii, sed quia *omne* bellum est ferinum. Horrui. Conatus sum expeditionem interrumpere, paratus fui ad summam fabricatoris bracarum accipiendam, adhuc enim magistros militiae meos pecunia corrumpere potui, adhuc fortasse res potui dirigere secundum voluntatem meam. Adhuc. Nam mox non iam potero. Tum tandem facti erimus gens heroum. Serva me, Romule, tu es unica spes mea.

ROMULUS: Quid speras?

ODOACER: Me superstitem fore.

ROMULUS: Num periclitaris?

ODOACER: Nepos meus adhuc est mitis et lenis, adhuc est vir urbanus, sed olim, post nonnullos annos, me occidet. Novi fidem Germanicam.

ROMULUS: Ergo vin’ ideo te mihi subicere?

ODOACER: Per totam vitam quaesivi veram animi humani magnitudinem, non falsam, non magnitudinem animi nepotis mei, quem olim appellabunt Theodericum Magnum, scriptores rerum haud ignoro. Ego sum agricola et odi bellum. Ego quaero humanitatem, quam in silvis

Germaniae primigeniis invenire non potueram. Quam inveni in te, Romule Imperator. Domicurius tuus superior indolem tuam perspexit.

ROMULUS: Aebiusne tuo mandatu in aula mea versatus est?

ODOACER: Qui fuit speculator meus clandestinus. Sed bona mihi rettulit. De vero homine, de iusto homine, de te, Romule.

ROMULUS: Qui rettulit tibi de morione, Odoacer. Totam vitam meam direxi in eum diem, quo Imperium Romanum esset collapsurum. Ipse mihi ius concessi de Roma iudicandi, quia paratus eram ad moriendum. Postulavi a patria mea ingentem victimam, quia me ipsum feci victimam. Sanguinem populi sivi effluere, cum eundem reddidi inermem, quia ipse volui effundere sanguinem meum. At nunc pergam vivere. At nunc non accipitur victima mea. At nunc is ero, qui solus se servavit. Necnon istud. Antequam venisti, mihi nuntiatum erat filiam, quam amo, periisse una cum sponso suo. Una cum uxore mea et aulicis. Hunc nuntium facile passus sum quia putavi me moriturum esse, at nunc eodem nuntio animus meus immisericorditer affligitur, nunc sententia mea immisericorditer refutatur. Nunc omnia quae feceram facta sunt absurda. Occide me, Odoacer.

Silentium.

ODOACER: Tu loqueris dolore afflictus. Supera maerorem tuum et accipe me tibi subditum.

ROMULUS: Tu times. Supera timorem tuum et occide me.

Silentium.

ODOACER: Tu cogitasti de populo tuo, nunc debes quoque etiam cogitare de hostibus tuis. Nisi acceperis subdicionem meam, nisi nos communiter processerimus, orbis terrarum addicetur nepoti meo, et altera Roma oriatur, regnum Germanorum universale, nec minus fragile quam Romanum, nec minus sanguinolentum. Si hoc fiet, ineptum fuerit opus tuum, id est te Romam delevisse. Non potes cedere magnitudini tuae, Romule, tu es unicus vir, qui sciat hunc mundum regere. Sis propitius, accipe meam subdicionem, fi Imperator noster, tuere nos a cruenta magnitudine Theoderici.

Genua flectit.

ROMULUS: Non iam possum, Germane. Etsi vellem. Tu e manu mea expulisti ius agendi.

ODOACER: Vin' tu in hoc constare?

Romulus item genua flectit, ut nunc unus ante alterum genua flectat.

ROMULUS: Occide me! Id rogo te genibus flexis.

ODOACER: Non possum te cogere, ut nos adiuves. Infortunium est factum. At etiam occidere te non possum. Quia te amo.

ROMULUS: Surgamus.

ODOACER: Surgamus.

ROMULUS: Nisi me occidere vis, alia quoque ratione quaestio potest solvi. Unicus vir, qui adhuc cupiat me occidere, ante lectum meum dormit. Ibo eum excitatum.

Surgit, item Odoacer.

ODOACER: Hoc modo quaestio non solvetur, Romule. Tu es desperatus. Non consentaneum est, ut moriaris, nam hoc non est consentaneum nisi mundus talis est, qualis tu tibi eundem mente finxisti. At talis non est. Etiam hostis tuus est homo, qui ita ut tu ipse iuste agere vult. Ergo nunc oportet fato oboedias. Aliud non datur.

Silentium.

ROMULUS: Iterum considamus.

ODOACER: Aliud nobis non relinquatur.

ROMULUS: Quid facere vis de me?

ODOACER: Te cum pensione dimittam.

ROMULUS: Men' cum pensione dimittes?

ODOACER: Haec est unica via quae nobis relicta est.

Silentium.

ROMULUS: Nihil horribilius mihi accidere potest quam cum pensione dimitti.

ODOACER: Noli oblivisci mihi quoque imminere rem maxime horribilem. Debebis me declarare regem Italiae. Quo finis meus incohabitatur, nisi nunc egero. Itaque mihi nolenti volenti dominatio incohanda est homicidio.

Gladium dextrorsum iturus.

ROMULUS: Quid vis?

ODOACER: Occidam nepotem meum. Adhuc plus valeo quam ille.

ROMULUS: Nunc tu es desperatus, Odoacer. Si nepotem occideris, mille tibi orientur Theoderici novi. Populus tuus aliter sentit ac tu. Qui vult rem

heroicam. Tu eundem non potes mutare.

Silentium.

ODOACER: Iterum considamus.

Iterum considunt.

ROMULUS: Care Odoacer, ego volueram valere ad fatum et tu volueras vitare fatum tuum, nunc fato dirempta sunt consilia nostra politica. Putavimus nos posse mundum e manibus nostris demittere, tu Germaniam tuam et ego meam Romam, nunc curandae nobis sunt earum parietinae. Quas demittere non possumus. Ego Romam supplicio capitis affeci, quia timui eius facinora praeterita, tu Germaniam, quia formidasti eius futura. Vim habuerunt ad nos duo phantasmata, nam revera nos non habemus vim ad ea, quae sunt praeterita et ad illa, quae sunt futura. Vim non habemus nisi ad ea, quae sunt praesentia, de quibus non cogitavimus et in quibus tractandis res utrique nostrum male succedit. Quae tempora mihi nunc pensionario degenda sunt, mihi, qui mordeor conscientia mortium filiae a me amatae, filii, uxoris, multorum miserorum.

ODOACER: Ego autem civitatem regere debebo.

ROMULUS: Consilia nostra a veritate correcta sunt.

ODOACER: Quam amarissime.

ROMULUS: Age perferamus amarum. Conare aptas reddere ineptias, his paucis annis, qui tibi restant ad mundum fideliter administrandum. Dona Germanis Romanisque pacem. Age porro, princeps Germanorum! Nunc tu impera! Nonnulli anni erunt, quos historia mundi obliviscetur, quia erunt anni heroibus vacantes – at erunt inter huius terrae perturbatae annos felicissimos.

ODOACER: Deinde autem mihi moriendum erit.

ROMULUS: Consolare te. Nepos tuus me quoque occidet. Numquam ignoscet

sibi genua flectenda fuisse coram me.

ODOACER: Age geramus officia nostra tristia.

ROMULUS: Celeriter agamus. Etiam ludamus, ultimo ludamus comoediam. Simulemus rationem constare, simulemus carnem hominis vinci spiritu.

ODOACER: Nepos!

A dextris venit nepos.

NEPOS: Care avuncule?

ODOACER: Invoca magistros militiae, nepos.

NEPOS: Ut iubes, care avuncule.

Signum dat securi carnificis. Grapheum completur a Germanis longo itinere fatigatis et inquinatis. Vestimenta linea unicoloria, iis impositae sunt loricae, simplices cassides, quibus facies obteguntur, secures carnificis, tota eorum multitudo videtur esse caterva carnificum minacissima. Odoacer surgit.

ODOACER: Germani! Hunc virum irrisistis, huic canticis illusistis, quae cantastis in viis ruralibus aut nocte ad ignes cubilium. At ego eius humanitatem expertus sum. Numquam eo viro vidi maiorem neque vos umquam videbitis maiorem, quicumque erit successor mei. Nunc tu ipse loquere, Imperator Romane.

ROMULUS: Imperator dissolvit Imperium suum. Ultimo aspiciate hanc sphaeram multicolorem, hoc somnium magni Imperii, quod quodammodo inter caelum terramque dubium pendet, levi halitu labiorum meorum propulsum, ecce illae terrae mari caeruleo delphinorum saltantium pleno circumiectae, ecce illae provinciae divites frumento flavescences, ecce illae urbes borrientes animantibus abundantes, ecce sol, quo homines sunt calefacti et, cum stetit altissimus, mundus est combustus, nunc in manibus Imperatoris lenis sphaera evanescens.

Omnes silent animis attentissimis. Germani stupefacti oculis emissiciis aspectant Imperatorem surgentem.

ROMULUS: Odoacerum ducem Germanorum declaro regem Italiae!

GERMANI: Vivat rex Italiae!

ODOACER: Ego autem Imperatori Romano attribuo villam Luculli Campaniensem. Praeterea idem accipiet annuam pensionem sex millenorum nummorum aureorum.

ROMULUS: Transacti sunt anni Imperatoris famelici. De pariete demite imaginem regis, qui eiusdem nominis fuit ac ego et Romam condidit, quam ego nunc tollam!

Germanus affert imaginem fictam.

ROMULUS: Gratias tibi ago.

Imaginem bracchio supponit.

ROMULUS: Te relinquam, princeps Germanorum. Dimittar, ut fiam pensionarius.

Germani consistunt more militari. E recessu prosilit Spurius Titus Mamma, nudum gladium manibus tenens.

SPURIUS TITUS MAMMA: Cedo Imperatorem! Occidam Imperatorem! Rex Italiae ei obvenit cum dignitate.

ODOACER: Demitte gladium, praefecte. Non iam est Imperator.

SPURIUS TITUS MAMMA: Quid de Imperio?

ODOACER: Quod est dissolutum.

SPURIUS TITUS MAMMA: Ergo ultimus praefectus imperialis obdormivit patriae intereunti!

Spurius Titus Mamma vehementissime commotus collabitur.

ROMULUS: Itaque, Domini mei, Imperium Romanum esse desiit.

*Imperator lente, capite demisso, imagine ficta
bracchio supposita, exit. Germani
stant reverentissimi.*



Basileae,
Theater
Basel, CH
1993



Victoria-Luise-Gymnasium, Hameln, D
27.06.2000



Subnoto RV, ut ipse accipiam
(Ich abonniere RV für mich selber)

Subnoto RV DONO DATUM ei, cuius
inscriptio cursualis supra indicata est
(Ich abonniere RV als Geschenkabonne-
ment für jemanden, dessen Adresse oben
angegeben ist): -----

Factura subnotationis mittenda est ad inscrip-
tionem cursualem infra indicatam (Die Abonne-
mentsrechnung ist zu senden an):

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte
frankieren

RVMOR VARIVS
C/o EDITIONS DU LAC
Estelle GITTA
Ch. F.-Lehmann 2
1218 Grand-Saconnex

RVMOR VARIVS
c/o D. Weissmann
Tellstrasse 30
CH - 3014 Bern

PP/Journal

4702 Oensingen

5 + 6/2003

IDIBVS DECEMBRIBVS

MMIII

Hic solutionem inscribe et chartam mitte !

1							
2							
3							
4							
5							
6							
7							

Nomen emittentis et inscriptio cursualis:



RVMOR VARIVS
RVMOR VARIVS
RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
RVMOR VARIVS
A DIVO

TOMVS 26

FASC. 151